



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XV. tum R. Bechai, qui Messias duos à Jacobo praedictos affirmat, quorum alter fuerit Moses, alter nondum advenerit:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

esse, ut extincta potius & sublata penitus dicenda sit, ac proinde oraculo Jacobæo nequaquam accommodari posse. Nec enim ad id satis est, verum aliquando fuisse quod de fictio illo & stamineo gentis suæ sceptro commemorant, sed ad Messiam usque iis expectatum perseverare debuit. Quod cum secus venerit, nullaque hodie sceptri umbra apud ipsos super sit, nulla ratione defendi potest ea quam afferunt prædicti Jacobæi interpretatio.

XV. Nihilò validior illa est quam proposuit R. Bechai, à quo libri Mosis explanationibus sunt illustrati. Is super hoc loco Geneleos, & in libro quem שלח ארבע, *Mensem quadratam* inscripsit, geminum hic Messiam prædictum esse opinatur, Mosem alterum, alterum Messiam propriè dictum quem Judæi expectant. Nec enim credibile esse ait Jacobum futura animo prospicientem, longinquam & remotam Israëlita gentis liberationem prædicendam suscepisse; instantem vero & proximam, cuius auctor futurus erat Moses, silentio prætermisisse; utramque ergo uno vaticinio præsentiasse; præsertim cum altera alterius typus & exemplar, juxta doctrinam à Prophetis traditam, futura esset: præterea Siloh Mosem esse per artem Gematricam; nam si vocabulorum משה, & משה, valorem arithmeticum colligas, habebis utrobique summam CCCXLV; ad Mosis vero tempora Israëlitarum sceptrum tenuisse tribum Juda, & ab ea demum ad Levitas per Mosem translatum esse. Regem porro fuisse Mosem probat hoc testimonio Deuteronomii: *Erit apud rectissimum Rex congregatis principibus populi, cum tribubus Israël: quod adsonat huic prædicto Jacobi: Et erit aggregatio populorum: sic enim Ebraica verba reddi possunt. Israëlita autem populorum nomine afficiuntur eodem loco Deuteronomii: Dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt.* Hæc Bechai, cui respondeo nugatoriam esse & fulem Gematricam artem, per quam ex hoc Jacobi oraculo, & ex quocumque Scripturæ loco sexcenta ejusmodi signum quivis queat extundere. Aio deinde etsi sceptri jus in tribu Juda semper fuerit, usum tamen non fuisse ante Davidem, quod vult Bechai, nedum ante Mosem, cujus ævo Judaica tribus, totaque Israëlita gens durissima apud Ægyptios servitute premebatur. Fac tamen sceptro tum potitam fuisse tribum Juda, repugnantia sibi contraria implicabit hæc opinio: nam ut ei accedat fides, dicendum est, reipsaque dicit R. Bechai, sceptrum de tribu Juda fuisse ablatum, postquam venit prior Messias Moses. At sciscit idem Magister, non ablatum iri sceptrum de Juda, antequam postremus Messias advenerit. Igitur Mosis ætate nequaquam ablatum fuit. Corruit ergo sententia hæc, seque ipsa jugulat.

XVI. R. Moses ben Nachman, R. Joël ben Suib, alique partium illarum Magistri, dictiones שבט, *Sceptrum*, & מרחק, quod Vulgata *Ducem* reddit, designare volunt sævum & impotentem dominatum, quo misera ipsorum gens passim vexatur. Cui calamitati tum à Deo finem impostum iri censent, cum Christus advenerit. Facile enim vero confutatur opinatio hæc ex verbis à Scriptore sacro adjectis, quibus מרחק, *Ducem, sive Legislatorem* hunc de femore Judæ proditurum præcinit. Unde liquet, non externos, quibus parere coguntur, principes, sed gentiles eorum ac tribules prædicti. Inde se ut expediant alii, exponunt *Doctorem Legis*: ut sententia hæc sit, Legis Doctores semper fore inter Judæos, qui eos officii sui commonefaciant, nec Legis oblivisci patiantur, etiamsi iniquum Ethnicorum principatum & dominationem tolerare cogantur. Verum ne id quidem defendi potest: nam si sacrorum annalium replicemus memoriam, falsum esse reperiemus, duris semper Judæos imperiis fuisse afflictos, cum mitissimis & æquissimis Regibus, quos gens hæc plerosque tulit, paruerint. Nego denique vocem שבט, si solitaria sit, tyrannicum imperium sonare. Dominationem generatim significat, tam æquam & legitimam, quam impotentem: quæ sane adjuncto epitheto determinanda erat, cum in eo rei totius cardo verteretur; uti in Psalmo secundo determinata est: בשבט ברזל, *in virga ferrea*. Qui vero שבט hic tribum sonare rentor, ut sensus sit, Non ablatum iri tribum Juda, ita ut decem tribus ab Assyriis in longinquas regiones deportatæ sunt, semperque suos ipsam doctores habituram, veritati manifeste contradicunt, cum Judaicæ gentis reliquiæ ablata, deportatæ, miserrimis exiliis multatæ sint. Igitur si patriam ac penates servare debuit tribus Juda ad Messiam usque, Messiam jampridem venisse necesse est.

XVII. Existimant præterea R. Selomoh Alcabitzius, in libro Manoth hallevi; R. Obadias Saphornus in suis Legis expositionibus, proxime memoratus R. Moses ben Nachman, alique hujus gregis, non hoc sibi voluisse Jacobum, ad Messiam usque ætatem temporarii sceptri possessionem penes tribum Juda semper futuram, cum ea sepe excidisse ipsam certum sit, sed non alios reges quam tribu Juda ortos Israëlitis imperaturos: sin res secus eveniat, causæ futura ipsorum peccata; regnumque à Juda ad tempus ablatum, ipsi aliquando restitutum iri; proindeque punitos fuisse à Deo, præsent, sed.

tum R. Bechai, qui Messias duos à Jacobo prædictos affirmat, quorum alter fuerit Moses, alter nondum advenit:

Deut. 33. 5.

Deut. 33. 5.

& qui vocabus, שבט, Sceptrum, & מרחק, tyrannicum & crudele imperium in se passim exerceri solitum prædicti putant: & qui שבט, hic tribum sonare opinantur:

Psal. 2. 9.